



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XXV. De Clerico percussore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

T I T V L V S XXV.
DE CLERICO PERCUSSORE.

Clericos, non tantum in minoribus constitutos, sed qui in sacris etiam, sive maioribus constituti sunt, ab Episcopo, cui subditi sunt, si deliquerunt, verberibus etiam corrigi, puniri que posse, ex can. *Cum Beatus. 8. dist. 45. & can. ult. dist. 35. junctâ Glossâ. verbo Corporali* patet; non quidem quasi Episcopo liceret eum propriis manibus verberare, cum talis correctio non deceat dignitatem Episcopalem, sed per alium Clericum; ne si per Laicum talem verberationem fieri mandet, tam ipse mandans Episcopus, quam Laicus executor excommunicationem incurrat.

Prælati verò inferiores Episcopo etiam per se, respectu Clericorum sibi subditorum delinquentium exequi pœnam hanc verberationis possunt,

cum debito tamen moderamine, ut notabiliter excedant, pœnam excommunicationis incurrant; alij autem Clerici à percussione illicitis etiam Laicorum, quod abstinere debent ex cap. *Si quis 1. h. 1.* habetur, ubi tales percussores, corripiendi sunt pro crimine, & si se non emendaverint, deponendi, cum Clericos magis deceat imitari mansuetudinem Christi, quam ut adeo inhumani & ferri sint; & hinc Pontifex in cap. *Presentium 3. h. 1.* etiam eum Clericum Sacerdotem voluit per biennium à celebratione Missarum abstinere, qui in conflictu ex parte eorum, qui vim illatam repellebant, stetit, quamvis terminem percussit ille, si tamen in eo conflictu occisi fuerunt aliqui.

T I T V L V S XXVI.
DE MALEDICIS.

§. I.

De maledicis, & maledictis in Papam & Imperatorem, corumque pœnis.

Maledicere in genere aliud non est, prout refertur ad homines, quam dicere malum aliquod de præfenti, vel de

præterito; & fieri hoc potest triplici modo: vel enuntiative affirmando malum de altero, vel imperio malum alicui infligendo, prout Iudex alicui malum dicit, dum pœnam innocenti infligi jubet, vel per modum optantis aut imprecantis alicui malum.

Præter